



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cibus Electvs Sive Instrvctiones Sanctae De vita sanctè  
traducenda& inter pios sanctósque affectus concludenda**

**Elffen, Nicolas**

**Coloniae, 1667**

Addi hic possunt Litaniae de Nomine Jesu, vel de passione Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55232)



Addi hic possunt *Litania de Nomine JESU*,  
*vel de passione Domini.*

**J**ESU crucifixe miserere mei. O Jesu, oro te, per omnia obsequia, quæ à Cherubinis & Seraphinis, & reliquo cœlestium spirituum exercitu tibi exhibentur. O Jesu, oro te, per probatam Patriarcharum fiduciam: per admirabilem Prophetarum veritatem: per igitum Apostolorum Zelum. O Jesu, oro te, per invincibilem Martyrum constantiam: per diuturnam confessorum pœnitentiam: per immaculatam Virginum puritatem: per merita omnium Sanctorum. O Jesu, oro te per dilectissimam Matrem tuam, quam ut tu ita & ego præ omnibus diligo. O Jesu Deus cordis mei, oro te per Spiritum Sanctum: per æternum Patrem: Oro te per te-metipsum, miserere mei in hac extrema angustia mea: Tuere me contra omnes insidias & tentationes inimici: Esto mihi clemens & misericors judex post exitum vitæ meæ, & fac audire merear desideratam vocem illam: Veni benedicte, & posside regnū Patris tui. O Jesu, in sacratissima vulnera tua commendo corpus & animam meam.

Iesu tibi vivo:

Iesu tibi morior.

Iesu, esto mihi Iesus in vita & in morte.

O Iesu in fide tua vivere & mori cupio.

O Iesu, etiam si occideris me, in te tamen sperabo.

O Ie-



O Iesu, etiamsi affligens me non parcas,  
te tamen amabo,

O Iesu amabo te sine fine,  
Ne avertas faciem tuam à me.

Sancte Ioseph, Ora pro me.

Sancta Maria assiste mihi.

Iesu miserere mei.

In brachiis tuis, ô Sancte Ioseph, moriar:

In sinu tuo, ô Mater Maria, requiescam.

In sanctissimis vulneribus tuis, ô Iesu,  
æternum habitabo.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

Anima Christi sanctifica me &c.

*Commendationem animæ & alia quædam supra  
in Indice citata brevitatis causâ omittere pla-  
cuit, & in editionem alteram vel in Auctarium  
brevis addendum rejicere. Tu interim Christiane  
Theophile, his, quæ modo apposui, frueri ad  
animæ tuæ salutem & ad majorem  
Dei gloriam.*

F I N I S.

